

*Pater noster*, ut prius; quo finito, tecto capite sedet, sedentibus omnibus.

9. Tunc cantores accedunt cum debitis reverentiis altari et Episcopo, ad legile præparatum in medio chori, seu ad locum consuetum, secundum consuetudines Ecclesiarum, et ibi cantant Lamentationes, quibus finitis, ac factis reverentiis altari et Episcopo, recedunt.

10. Lectiones secundi et tertii Nocturni cantant vel ipsi cantores, vel Canonici pro more Ecclesiarum, incipiendo a junioribus, singuli singulas.

11. Ad *Benedictus* Episcopus surgit, detecto capite, surgentibus omnibus, et cum dicitur Versiculus *Ut sine timore, etc.*, Cæremoniarius, seu aliquis Capellanus cum instrumento apto extinguit singulatim ad quemlibet Versiculum singulos cereos altaris, alternatim incipiendo a cornu Evangelii, et pariter omnia alia luminaria, si qua sunt per Ecclesiam, extinguuntur, præterquam ante SS. Sacramentum, ita ut in fine *Benedictus* reperiantur omnia extincta.

12. Cum repetitur Antiphona post *Benedictus*, Cæremoniarius, sive alius Capellanus, removet ex candelabro triangulari unicum cereum accensum, in summitate trianguli positum, eumque accensum, elevata manu, sustinet super cornu Epistolæ altaris; et cum inchoatur *Christus factus est pro nobis, etc.*, illum sic accensum abscondit retro altare, vel alio modo.

13. Episcopus autem, dum prædicta Antiphona repetitur, descendit a sede, et dum inchoatur *Christus factus est, etc.*, genuflectit super faldistorio præparato ante altare, omnibus genuflectentibus, et postea chorus incipit sub silentio *Pater noster*; mox Psalmum *Miserere mei, Deus, etc.* modulata sed flebili voce.

14. Quo finito, Episcopus genuflexus, ac capite aliquantulum inclinato, vel ex libro, vel memoriter recitat clara voce Orationem *Respice, quæsumus, etc.*, usque ad *Qui tecum exclusive*, quod secrete complet.

15. Qua Oratione finita, Cæremoniarius manu scabellum,

seu librum percutiens, per breve spatium, strepitum fragoremque facit, et a cæteris similiter fit, donec Cæremoniarius cereum prædictum accensum, qui fuerat absconditus, in medium proferat, quo prolato, omnes cessare debent a strepitu.

16. Finito strepitu, Episcopus et omnes surgunt, et recedunt eodem modo et ordine, quo venerant.

17. Eadem servantur in duobus sequentibus Matutinis tenebrarum; hoc tantum excepto, quod altare, sedes Episcopalis, et tota tribuna ac pavementum sint penitus denudata: poterit tamen in sede Episcopi adhiberi pulvinar, pro ejus commoditate, si voluerit; et advertatur, ut Officium perficiatur hora tarda, hoc est, scle occidente.

## CAPUT XXIII.

Quæ præparanda sint pro Missa et Officio feriæ quintæ in Coena Domini. Sacellum pro recondendo SS. Sacramento, et altare, quomodo ornandum. Quo ordine Episcopus ad Ecclesiam hac die procedat. Altera ex duabus hostiis consecratis, quando et quomodo reponatur. Communio generalis totius cleri fiat. Ritus genuflectendi apud altare post Communionem, et perficiendi Missam hujus diei. Ordo inchoandæ processionis, ponendi incensum in thuribulis, tradendi per Diaconum SS. Sacramentum in manibus Episcopi. Quomodo in processione procedatur, et SS. Sacramentum collocetur. Benedictio Episcopalis quando danda. Si Episcopus non celebret, ille tamen SS. Sacramentum ad præstitutum Sacellum deferat.

1. Quia hac die plura occurrunt Officia in Ecclesia Dei peragenda, scilicet, pœnitentium reconciliatio, Oleorum consecratio, Missa, processio, ac repositio SS. Sacramenti, ac demum Mandatum; subjungimus ea tantum, quæ ad



Missam, processionem SS. Sacramenti, et Mandatum pertinent; cætera namque in Pontificali late explicantur, unde sumi possunt.

2. Præparandum igitur ornandumque erit aliquod sacellum intra Ecclesiam, quo pulchrius magnificentiusque poterit, multis luminibus ornatum, in quo post Missam hujus diei recondendum sit SS. Sacramentum, et in eo altare cum sex candelabris ac cereis.

3. Præparetur etiam baldachinum album perpulchrum, thuribula duo cum navicula, velum unum parvum pro Sacramento, alterum magnum et amplum, quod circum humeros Episcopi ponetur, dum Sacramentum portabit; et ambo hæc vela sint serica, vel aureata, aut pulcherrime ornata; calix item amplior et pulchrior cæteris, ubi sacratissima hostia reponetur; funalia, seu candelæ ceræ albæ, in numero sufficienti pro Canonicis et clericis, una inter eas picta et ornata pro Episcopo, quam unus ex suis Capellanis vel scutiferis deferat in processione, accendendæ: item duæ hostiæ consecrandæ; item vas argenteum seu aureum cum multis particulis consecrandis, pro communicandis Canonicis et Clero.

4. Summo mane Episcopus, si ipsemet erit celebraturus, veniet ad Ecclesiam ordine consueto cum cappa, associatus a Canonicis, parabitur in sacristia vel Secretario, ut alias; et interim, dum dicetur Nona, capiet sandalia, leget Psalmos sine *Gloria Patri*, et in fine cum dicitur a choro *Christus factus est, etc.*, genuflectet ante altare; et finito Psalmo *Miserere mei, Deus, etc.*, genuflexus dicet Orationem *Respice, quæsumus, Domine, etc.*, mox redibit ad sedem, deponet cappam, lavabit manus, accipiet paramenta alba, ut alias; et cum eo parabuntur Canonici, et perficiet, si volet, ea quæ supra dicta sunt, secundum Rubricas Pontificalis Romani circa reconciliationem pœnitentium, et Oleorum consecrationem; procedetque in Missa cum solitis cæremoniis, et prout in Missali Romano, et ut dicitur in *Cap. VIII. hujus Lib. II. de Missa solemnæ, etc.*

5. Paulo ante communionem, Cæremoniarius, vel aliquis Capellanus portat ex abaco ad altare supradictum calicem magnum vacuum, et dicta duo vela; sumptaque communionem Corporis et Sanguinis, antequam se purificet Episcopus, reponet SS. Sacramentum in calice, quem Diaconus palla et patena desuper posita, ac demum velo serico cooperit, et in medio altaris collocat reverenter.

6. Deinde antequam purificet, communicat primum Diaconum et Subdiaconum, deinde omnes Canonicos paratos, et alios Sacerdotes de Ecclesia; qui stolam a collo pendentem supra cottam habere debent, et denique omnes de clero, eo modo et forma, prout latius explicatur in *Cap. xxix. hujus Lib. II. de Missa in die Paschæ per Episcopum celebranda, et communionem generali. Sed hodie Diaconus et Subdiaconus assistentes, et cæteri Canonici parati, faciem Episcopi celebrantis non osculantur.*

7. Finita communionem, Episcopus se purificat, et abluit digitos, et facta reverentia cum genuflexione SS. Sacramentum, retrahit se extra cornu Epistolæ, versa facie ad populum, ubi lavat manus sine mitra: et eundo et redeundo ad altare, semper usque ad terram genuflectit ante SS. Sacramentum: et dum vertit se ad populum dicitur *Dominus vobiscum*, non utique in medio altaris vertit renes Sacramentum, sed in latere Evangelii.

8. Dicto *Ita Missa est*, Episcopus sine mitra stans in latere Evangelii, et non perficiens circulum, dabit benedictionem solemnem, sed Indulgentiæ publicabuntur in loco, ubi reponitur SS. Sacramentum.

9. Cum Episcopus post Missam dicitur erit Evangelium *In principio erat Verbum, etc.*, nullum signum faciet super altari, ut alias; quo finito, retrahens se ad suam sedem, deponit sacras vestes usque ad stolam exclusive, et accipit pluviale album.

10. Interim alter Subdiaconus accipit crucem velatam velo violaceo. Acolythi sua candelabra cum cereis accensis, Canonici parati accipiunt cereos accensos: et digniores ex



Beneficiatis, sive ex Mansionariis parati pluvialibus, capiunt hastas baldachini.

11. Episcopus, accepto pluviali et mitra, stans ponit incensum in duo thuribula absque benedictione, et sine osculo manus Episcopi, ministrante Presbytero assistente, ut alias.

12. Quo facto, redit ad altare, ubi, nudo capite, genuflexus super pulvino, accepto altero ex dictis duobus thuribulis ab assistente Presbytero, incensat SS. Sacramentum triplici ductu, tum imponitur super ejus humeros velum, et firmatur spinulis: et Diaconus assistens, et non alius, cum debitis reverentiis capit SS. Sacramentum de altari, et illud, stans, offert Episcopo genuflexo, sine reverentia versus Episcopum, et sine osculo. Sed postquam illud in manibus Episcopi reliquit, genuflectit: Episcopus vero cum Sacramento surgit, et statim cantores incipiunt Hymnum *Pange lingua gloriosi, etc.* Ministri assistentes hinc inde elevat fimbrias anteriores pluvialis. Cæremoniarius vero, vel aliquis Capellanus, dum Episcopus ascendit et descendit per gradus, elevat extremitatem vestis interioris a parte anteriori, et nobilior laicus, vel alius, juxta consuetudinem loci, qui adest, sublevat pluviale a posteriore parte.

13. Episcopus intrat sub baldachinum portans SS. Sacramentum devote. Canonici parati cum intorticiis præcedunt ordine solito: cum pervenerint ad Sacellum, ubi Sacramentum deponi debet, relinquitur extra illud baldachinum, et cantores in cantu pio, et devoto, cantant *O salutaris hostia, etc.*, vel *Tantum ergo Sacramentum, etc.*, donec Sacramentum fuerit per Episcopum repositum, et incensatum. Cum Episcopus erit ante supremum gradum altaris, Diaconus accipiet de manu ipsius stantis SS. Sacramentum genuflexus, sine osculo manus, quod deponet super altari in loco præparato, cooperiens velo undique calicem: et interim Episcopus paulo retrocedens, stans imponet incensum in altero ex thuribulis, et rursus ge-

nuflexus, Sacramentum incensabit triplici ductu; et clauso ostiolo per Diaconum assistentem, Episcopus ascendens altare, eodemque cum genuflexione deosculato, dabit benedictionem solemnem, stans sine mitra in latere Evangelii, accepto baculo pastorali, dum dicit *Pater, et Filius, etc.*, et Presbyter assistens tunc publicabit Indulgentias quadraginta dierum, more solito. Demum Episcopus eodem ritu processionali redit ad sedem in choro, ubi ipse et Canonici deponunt paramenta, et dicuntur Vesperæ; quibus finitis, denudantur altaria et omnia, et deinde fit Mandatum, ut in *sequenti Capite*.

14. Quod si Episcopus, necessario impedimento præpeditus, non celebraret hanc Missam, sed illi per alterum celebratæ interesset paratus, ut alias, saltem non omittat portare SS. Sacramentum in processione, quo casu Canonici accipient paramenta in fine Missæ: et demum, reposito Sacramento, accedere ad Mandatum, et lavare pedes pauperum, vel Canonicorum, ut infra.

## CAPUT XXIV.

**Quæ paramenta ordinanda sint pro Mandato, seu lotionem pedum Circa personas, quæ lavandæ sunt, servetur usus Ecclesiarum. Præparanda pro ipsa lotionem. Qui lavandi erunt, vestibus albi coloris induti sint. Ordo cantandi Evangelium per Diaconum. Lotionem quomodo ab Episcopo fiat. Observanda post lotionem. Si laventur pedes Canonicis, quo habitu ii induti esse debent.**

1. Hora competenti Episcopus accedit ad locum præparatum pro Mandato, ubi induitur amictu, alba, cingulo, stola, pluviali coloris violacei, et mitra simplici. Diaconus autem et Subdiaconus, qui in Missa ministrarunt, eidem assistent cum paramentis albis, quibus, præter manipulos, parati erunt antequam Episcopus ad Mandati locum accedat, præsentibus etiam Canonicis et Capellano cum cruce



Archiepiscopali, si celebrans erit Archiepiscopus, ibique parati sint pauperes, quibus lavandi sunt pedes.

2. Sed quia circa hoc diversi sunt ritus Ecclesiarum; alibi enim in usu est, vestire sumptibus Episcopi, vel Capituli, tredecim pauperes, eosdemque cibo et potu reficere, et mox suo tempore eisdem pedes lavare, et eleemosynam præbere; alibi, Episcopi lavant pedes tredecim ex suis Canonicis; ideo relinquetur hoc faciendum, juxta consuetudinem Ecclesiarum, vel arbitrio Episcopi, si maluerit pauperibus lavare, etiam in locis, ubi sit consuetudo lavandi Canonicis; videtur enim eo pacto majorem humilitatem et charitatem præ se ferre, quam lavare pedes Canonicis.

3. Si igitur lavandi erunt pedes tredecim pauperibus, præparabuntur in Ecclesia ubi magis conveniret, seu in aula capitulari vel alio loco consueto et idoneo, infrascripta, videlicet faldistorium, seu sedes pro Episcopo in capite aulae, abacus, seu mensa capax, mappa nitida superposita cum duobus candelabris, et cereis albis ardentibus: erunt super ea plures pelves, seu lances argenteae, si haberi poterunt, cum urceis, aqua aliquantulum calida implendis, et ad minus duò; alia lanx similis cum tredecim mappulis ad extergendos pedes, et alia cum pecuniis pro eleemosyna pauperibus donanda, pro unoquoque æquali portione divisis; item linteum, quo Episcopus præcingi debet; vas cum aqua calida, et aliud cum frigida; vasa etiam cum mantili pro lavandis manibus Episcopi post lotionem pedum; thuribulum cum navicula et incenso per Acolythum tenendum; vas cum carbonibus accensis: ipsa mensa jam dicta, ac vasa, et totus ille locus floribus et herbis odoriferis aspergatur.

4. Præparetur etiam pulpitem, seu legile pallio serico, seu auriphrigiato coopertum, super quo liber Evangelii ponatur, cum illud cantandum erit, a latere sinistro Episcopi, et aliud nudum pro cantoribus; liber Evangeliorum, liber pro Episcopo, repagula pro Episcopo, ne opprimatur; sca-

mum oblongum et præaltum a dexteris, panno viridi coopertum, super quo sedebunt pauperes tredecim jam dicti, novis vestibus albi coloris induti, dexterum pedem nudatum habentes.

5. His omnibus præparatis, Episcopus, finitis Vesperis, vel a prandio, prout Episcopo commodius et melius videbitur, paratus, ut dictum est, cum suis ministris illuc accedit; sedet in sua sede, vel faldistorio sibi parato. Tunc Acolythus cum thuribulo et navicula ad eum accedit: et Episcopus, ministrante Presbytero assistente naviculam, imponit incensum in thuribulum, et benedicit, more solito: quo facto, Diaconus, ut supra, gerens ante pectus librum Evangeliorum, accedit cum Subdiacono, et duobus ceroferrariis ante Episcopum, a quo genuflexus, si non est Canonicus, simul cum aliis jam dictis, petit benedictionem, dicens *Jube, Domne, etc.*, cui Episcopus respondet *Dominus sit in corde tuo, etc.* Diaconus, benedictione accepta, surgit cum comministris suis, accedit ad locum Evangelii cantandi, et posito libro Evangeliorum super legili, quem Subdiaconus a tergo ambabus manibus retinet; et si erit Archiepiscopus, Capellanus crucem tenens, stabit prope ipsum Diaconum, facie Crucifixi versa ad Archiepiscopum. Duo ceroferrarii stabunt hinc inde a lateribus legilis, faciebus ad Diaconum cantantem versis. Tunc Diaconus dicit cantando *Dominus vobiscum*, signat, incensat et cantat Evangelium, more solito, videlicet *Ante diem festum Paschæ, etc.*

6. Quo finito, Subdiaconus portat librum Evangeliorum apertum, osculandum Episcopo, nullam ei reverentiam faciens, nisi post Evangelium deosculatum. Acolythi ceroferrarii, factis debitis reverentiis, reportant tunc candelabra ad abacum, et amovetur legile. Diaconus, capto thuribulo de manu thuriferarii, incensat Episcopum, stantem in sua sede cum suis solitis assistentibus hinc inde, triplici ductu; mox recedit cum Subdiacono ad partem; et cantores tunc incipiunt et prosequuntur Antiphonam *Mandatum novum do vobis, etc.* prout in Missali.



7. Episcopus deponit pluviale , et accipit linteum ex abaco allatum per aliquem Capellanum , quo præcingitur ; et retinens in capite mitram simplicem , accedit ante primum pauperem , et genuflexus super pulvino , quem Cæremoniaris , sive aliquis Capellanus continuo trahit , afferentibus pelves et urceos scutiferis , clericali habitu indutis , lavat illi pedem dexterum , quem lotum tergit et osculatur , tradens ei eleemosynam : idem facit successive singulis. Scutiferi autem si tot erunt , singuli pro singulis pauperibus serviunt ; si pauciores , mutantur per vices.

8. Lotis omnibus , revertitur Episcopus ad sedem suam , ubi lavat manus , scutifero altero , seu nobili ante eum lancem cum urceo portante cum solitis cæremoniis. Et illico adsunt duo ceroferrarii cum candelabris et cereis accensis , Cæremoniaris eos ducente ante Episcopum , qui , deposito linteo , et accepto pluviali , ac deposita mitra , surgit , et dicit voce intelligibili *Pater noster* , quod secrete complet usque ad Versiculum *Et ne nos , etc.* , quem alte pronuntiat , respondentibus cantoribus *Sed libera nos a malo* , deinde Versiculos et Orationem , prout in Missali.

9. Quibus finitis , Episcopus alte elevans manum , facit signum crucis versus omnes existentes in dicta aula , nihil dicens ; et statim deponit sua paramenta , prout pariter ejus ministri , et recedunt.

10. Si Canonici erunt , quibus lavandi sunt pedes , sedebunt in dicto scamno in eorum habitu Canonicali , nudatis pedibus dexteris , et Episcopus eodem ordine lavabit illis pedes , terget et osculabitur , prout de pauperibus dictum est , incipiendo a digniori , sed non datur eleemosyna. In cæteris servantur omnia supradicta : absente vero Episcopo , et in Collegiatis , servantur Rubricæ Missalis.

## CAPUT XXV.

Præparanda pro Officio feriæ sextæ in Parasceve , Episcopo celebrante. Altaris ornatus. Paramenta Episcopi et ministrorum sint nigri coloris. Ordo procedendi ad Ecclesiam. Expleta Nona , Episcopus induitur paramentis Missalibus nigris. Orat diutius super nudo genuflexorio ante altare. Quomodo assistat Lectionibus et Passioni. Diaconi munus circa ea , quæ dicenda sunt in tono Evangelii. Sermo quando habendus sit. Episcopus ubi cantet Orationes. Altare quomodo ornandum. Ordo detegendæ crucis , et procedendi ad ejus adorationem. Processio ad accipiendum calicem cum SS. Sacramento , quomodo ordinetur. Quæ observanda in loco , ubi repositum est SS. Sacramentum , in ipsa processione , et apud altare. Incensum quomodo ministretur. Ordo dicendi In spiritu humilitatis : Orate , fratres : Pater noster. Quomodo facienda elevatio hostiæ , atque ea sumenda sit. Cætera quo ordine fiant.

1. Si Episcopus velit ipsemet celebrare in die Parasceve , servantur infrascripta ; videlicet , altare , sedes Episcopi , sedilia Canonicorum et aliorum , ac tota tribuna sint penitus denudata.

2. In abaco mappa superponatur , sed a nulla parte pendeat , ubi erit tantum pelvis cum urceo ad lavandas manus , et alia ad recipiendum pecunias , quæ cruci offeruntur , in ipso , et in altari candelæ ex cera communi extinctæ super candelabris sint , sed nullæ imagines , aut alia ornamenta super altari collocentur , præter crucem et candelabra ; et hæc non sint argentea.

3. Præparetur pannus , vel tapes oblongus , seu pannus violaceus , extendendus suo tempore pro adoratione crucis ; magnus item pulvinus , ex serico villosio violaceo auroque factus , ubi crux erit ponenda , et velum album serico violaceo intertextum , super eo explicandum ; faldistorium nudum , super quo Episcopus ante altare genuflectat.